

BENEDICTO XIIIIL PONTIFICI MAXIMO

COLLEGIUM MEDICORUM BONONIENSE.



Considerantibus nobis, **BEATIS-**
SIME PATER, atque inter nos, ut se-
pe fit, recolentibus singularem tuam clementiam, pra-
stantemque erga nos liberalitatem, non alia res potior,

a 2

non

non alia opportunior occurrit, quaque iustius hoc tem-
 pore a nobis repeti ad nostram venerationem testandam
 videri possit, quam ut resectum nuperrime a nobis ad
 usum medicæ facultatis Antidotarium, S A N C T I -
 T A T I T U Æ, quod nunc submississime facimus,
 offeramus. Quamquam ipsius operis tenuitatem nobi-
 scum reputantes, haud sane leviter commovemur, qui
 nihil in eo contineri agnoscimus, vel Sapientissimi Pon-
 tificis expectatione dignum, vel tantæ conveniens ampli-
 tudini majestatis: quæ nobis cogitatio, ad Te B E A -
 T I S S I M E P A T E R accedentibus, iusta satis
 dubitandi causa esse posset, nisi quantum muneris exili-
 tate impedimur, tantum in ea benignitate, quam erga no-
 strum ordinem perpetuam ostendisti, confidendum nobis, ac
 bene sperandum videretur. Enimvero pro maximis tuis ac
 innumerabilibus beneficiis optabilius nobis est superesse ali-
 quod, quantumvis pertenuè, grati animi nostri argumen-
 tum, quam omnino officium desiderari: idque eo gravius
 videri necesse est, quod in tanta munificentia tua luce ac
 claritate nulla ne levissima quidem cogitari potest oblivio-
 nis nostræ opinio, quæ non perennem nobis maculam,
 æternumque dedecus esset paritura. Nam ut silentio cete-
 ra, etsi maxima sunt, prætermittamus, clementiam tuam
 erga nos, mansuetudinem, lenitatem, an non unus ille
 dies in perpetuum declaravit; quo die cum esset Collegium
 nostrum in Archigymnasio publice congregatum, ut salu-
 berrimis antidotis longe ab omni suspicione componendis pa-
 trio more ac instituto præesset, Tu B E A T I S S I M E
 P A T E R, qui nondum ad solium erectus, amplissimis
 tamen

tamen persunetus dignitatibus Bononiensem Ecclesiam reli-
 giosissime ac sapientissime administrabas, eo nos honore di-
 gnatos esse voluisti, ut sedem tuam in medio nostrum sta-
 tueres, quamque Tibi probata essent omnia, quæ a no-
 bis pro publico bono cogitarentur ac fierent, tua præsentia
 significares: quo gravissimi ac prudentissimi Antistitis tam
 illustri testimonio, quid nobis jucundius potuit, aut glo-
 riosius aliud id temporis contingere? Hunc animum BEA-
 TISSIME PATER, hanc benevolentiam, hanc li-
 leralitatem ad Pontificatum cum attulisses, quid est postea
 quod miremur nullum exstiterisse tempus, quo non aliquid
 de honoribus nostris, aut commodis augendis ex altissima
 illa dignitatis sede cogitares? Tu ad ea privilegia quæ su-
 periores Pontifices concesserant præclara ac nova addidisti;
 Tu Collegii auctoritatem amplificasti; Tu nostro de nume-
 ro Virum doctrina ac medicæ artis usu præstantem delegi-
 sti, cui salutem tuam, qua universa Christiana Respubli-
 ca suam prosperitatem contineri intelligit, tuendam ac con-
 servandam committeres; Tu eam de nobis opinionem Te
 habere ostendisti, ut in gravissimis controversiis, quibus
 medicina cognitio lucem afferre posset, iudicium nostrum
 maxime exquireres, idque postea ut sincerum & incorru-
 ptum benignissimo rescripto comprobaret. Hæc & alia longe
 multa sunt, BEATISSIME PATER, immorta-
 lia tua erga nos beneficia, quorum memoriam, cum antea
 tacita illa quidem, sed tamen gratissima recordatione mentibus
 nostris quasi inclusam contineremus, nunc denique in lucem
 efferenda, ac publico monumento consignanda datam nobis
 facultatem vehementissime letamur. Et hinc futura omnis
 po-

posteritas ætatis nostræ felicitatem admirabitur, cui a tanto Pontifice regi ac gubernari datum fuerit, qui ut sapientia, consilio, doctrina, religionis studio nemini superiorum cesserit, ita singulari clementiæ ac benignitatis laude prope omnes superaverit. Nos interim preces nostras cum totius Christiani Orbis votis conjungimus, ut Deus Optimus Maximus **SANCTITATEM TUAM** incolumem diu conseruet, simul a Te **BEATISSIME PATER** supplices petimus, ut quos semel tueri ac protegere orsus es nunquam destituas.

PARS